

tamen non obstantibus, Bertanum à vera auctoris intelligentia aberrasse, inq; verbis illius interpretandis hallucinatum esse, facile patebit. Ea enim veritatis est vis, vt simulac è tenebris emerferit, quæcunq; præstigiola & fucis illita veritatis ipsius speciem præ se ferre videbantur, expellat, labefactet, destruat. Primum igitur Vitruuii verba deprauasse, vel è luxato, & mendoso Codice descripsisse clarè patet. Ait enim, *ad ipsam stylobatam, qui: Item sub columna spiris conueniant, pro, sub columna spiris conueniat. Stylobata ita oportet exæquari, pro, stylobatam ita oportet exæquari. Scamillo ad id conuenientes fiant, pro, scamilli ad id conuenienter fiant. Vtique adiectio in stylobatis, pro, uti qua adiectio in stylobatis.* Ex his facile cognosci potest ipsum latina aut penitus ignorasse, aut tenuem saltem, & obscuram eorum notitiam habuisse. Quæ cum ita sint, nulli mirum si luxatis Vitruuii verbis, & perperam interpretatis, à vera auctoris mente exciderit: siquidem, vt ait Philosopher, verba eorum quæ sunt in animo passionum, quæ verò scripta sunt, eorum quæ in verbis signa sunt. Sed esto Bertanus verba verborumq; vim optimè calluerit, dicimus, eum nec veritatem è tenebris liberaffe, nec quæ attulit de suo protulisse, etenim Philander longè ante ipsum hanc ferè per scamillos adiectionem excogitauerat, atq; eandem veluti ineptam, & ad auctoris mentem nihil facientem, repudiauerat. Ita enim Philander, *existimabamus inquit Græcorum consuetudine per scamillos imparcs, id est ceu gradibus quibusdam fieri adiectionem in mediis stylobatis, hoc est fieri, vt gradatim à supremis atq; infimis partibus quadratorum, quæ coronibus suis & basibus clauduntur, medium versus subturgerent, & adangerentur. Id cum non satisfaceret, cepimus & istud expendere.* Hætenus Philander, ex cuius verbis deformatum stylobatam in superioribus lineauimus. At dicet fortasse Bertanus, non utiq; cognouit Philander adiectionis huius, & scamillorum symmetriam de epistyliis esse petendam: optimè. Sed quid dices Bertane si aliter ea verba intelligenda esse actu intellexisti ostendemus?

mus?